



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Pernicitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Illi ad surgentem conversi lumina Solem  
Dant fruges manibus falsas.*

Ita in veteribus habetur exemplaribus.

FEROCIA EMOLLITA. CAP. XXXIV.

**Q**uod vero pertinet ad ferociam per animalis istiusmodi effigiem descriptam, indomitos & efferatos animos indicamus. Et Poetæ cum hominis cujuscumque immanitatem egregie notare volunt, Hyrcanas illas Tigrides huic ubera prædicant admovisse: Et quæ Bacchi curru junguntur, ut plerique authores sunt, indicant moderatum vini usum ferocientis animi sævitiam demulcere. Ita Polyphemus apud Homerum omnem exuperans crudelitatem, Maroneo delinitus vino, Ulyssi mollius adblanditur. Et heroes illi Trojani apud Homerum eundem, qui laudibus arguitur vini vinosus, ferocitatem sæpe, æstuantisque bile cordis acerbiter vino delinere: hominiquè valde irato apud Plautum propinandum edicitur, ut ille vino bilem diluat. Naturæ enim consentaneum, cibo potuque rigato corpore, ab eo discuti tristitiam. Quare Zeno Citieus interrogatus, cur, cum Philosophus esset, & natura feverus, in convivio tamen hilarior videretur: *Atqui, inquit ille, Lupinum suapte est natura amarum, dulcescit tamen aqua maceratum.* Atque hoc illud est, quod Armenias curru subungere Tigres, Bacchi Orgiis institutum.



*Hyrcanæ  
admovunt  
ubera Tig-  
res Virg.  
lib. 4. An.  
Hinc Ovi-  
dium de Bac-  
cho loquent  
lib. 3. Met.  
Tigrides  
curru Bac-  
chi junctæ,  
quid.  
Virg. in Bu-  
col.  
Daphnis &  
Armenias  
curru sub-  
jungere  
Tigres.*

ULTIO. CAP. XXXV.

**U**ltionem significare qui volunt, Tigridem & Equum ab ea dilaceratum pingunt. Nota est historia, quemadmodum ejus venator, sætus recens editos observat, ad quos, cum mater pabulatum abierit, auferendos perniciosissimo fertur Equo, surreptisque catulis, qui sunt semper numerosi, in cursum fertur quanto potest citatissimum: reversa Tigris ubi nidum vacuum reperit, velocissimo cursu totam circumlustrat regionem, donec fugientem venatorem deprehenderit, in quem omnem convertit impetum: ille statim unum è catulis projicit, suscipit hunc Tigris mordicus, & retroversa in nidum refert, alacri mox cursu eadem vestigia repetit, exiguoque temporis intervallo venatorem agreditur: ille rursus alterum catulum abjicit, cursuque nunquam intermisso navem versus provolat. Suscipitur hic quoque, & rapidissima velocitate reportatur, idque & tertio, & interdum quarto fit, donec venator conscensa navi vix duobus & nonnunquam uno tantum catulo ablato aufugiat, Equo relicto, in quem illa postea quam frustra toto litore frendens deseviit, omnem convertit ultionis sævitiam, totumque discerpit, & miserabiles socii furti pœnas pendere compellit. Apud Jobum, ut in Hebræo esse dicit Eucherius, Tigris perit; eo quod non fuerit prædam affecuta: quod de sæminea arrogantia dictum volunt.



*Nota histo-  
ria de Ti-  
gridis amo-  
re erga suos*

PERNICITAS. CAP. XXXVI.

**J**am pernicitas significatum ex iis quæ supra dicta sunt, desumitur, cum citatissimum Equum ter & pluries assequatur, cursu retrorsum repetito.

AMOR IN FILIOS. CAP. XXXVII.

**I**ta etiam charitas pietasque, & affectus in filios summus, ex eadem historia consideratur: mox & ultionis studium, cum in relicto Equum tanta ferocitate sæviat.

MUSI-